DE HÆMORRHOIDIBUS DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS…

Giovanni Battista Provasoli

DE

HÆMORRHOIDIBUS

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTAT. MEDIC. DIRECTORE
SPECTAB. D. DECANO NEC NON CLARISSIMIS
D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.RE C. A. RIGONI

PHYSIOLOGIAE ET ANATOMIAE SUBLIMIS
PROFESSORE ORDINARIO

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CAPESSENDA IN CELEBERRATISS. I. R. ARCHIGYMN. TICINENSI

Mense Aprilis an. M.DCCC.XXXI

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

JO. BAPTISTA PROVASOLI

EX RUSTO ARSITIO IN PROVINC. MEDIOL.

TICINI REGII
Ex Typographia Fusi et Socii.

PROOEMION.

Quum, emenso jam quinquennali curriculo, quod quisque medicinae studens, ante quam ad praxim medicam se conferat, conficere debet, jam ad metam adpropinquarem, quam per tot annos assiduis votis sum prosequutus, anceps haerebam quodnam thema publici juris, uti de more est, redderem. Post multas autem considerationes de rebus diversis ad medicinam spectantibus, nonnulla circa haemorrhoides in lucem exponere statui, illum sicuti morbum, qui licet per se fere nunquam laetalis evadat, tamen tam fre-

quens occurrit, ut nostris temporibus vix ac ne vix quidem in omnibus non invenitur individuis. Praemissis ergo breviter, quae ad haemorrhoidum divisionem, genesim ac momenta causalia attinet, aliquid de prognosi et cura subjungam.

DE HÆMORRHOIDIBUS.

Rectum intestinum quam plurimis praeditum est venis, quae varias inter se habentes anastomoses, *haemorrhoidales* anatomicis appellantur. Illae, quae ex intestini parte inferiori prosiliunt *externae*, sive *inferiores* dictae ob plexum recto-vesicalem, in venam hypogastricam, in iliacam, et tandem in cavam sanguinem ferunt; aliae autem venae haemorrhoidales, quae *internae*, sive *superiores* sunt, e suprema intestini recti regione ad ramum meseraium, et inde ad venam portam cruorem adducere solent. Si vero his in ramis major quam par est sanguinis quantitas concrrit, et ipsius humoris congestio, vel extra vasa effusio efficitur, tunc propter ipsam vasorum dilatationem, vel cutis tantum distensionem quidam nascuntur tumores, qui varium habere possunt volumen, et *haemorrhois*, *adfectio haemorrhoidalis*, *conamen haemorrhoidale* vocantur.

Divisiones.

Cum ex anatome vasa haemorrhoidalia in interna et externa divisa sint, ita haemorrhoides *internae* sunt sive *occultae*, et *externae*, sive *inferiores*. Praeterea usque dum tantum observantur hae intestini diramationes tumentes, at nil aliud, *clausae* sive caecae haemorrhoides vocantur, et tunc *dolentes*, vel etiam *furentes* esse possunt; si vero ex earum ruptura sanguis vel alius effluit humor *apertae*, vel *fluentes* nuncupantur, quae ex varia liquidi profluentis quantitate in *sanguineas* et *albas*, sive *mucosas* distingui debent. Dum autem eorum profluvium est aegroti emolumento, *criticae* appellantur; *symptomaticae* si contrarium; dicuntur *spontaneae* si a provida naturae conatu varices aperiuntur, ut se a superfluo sanguine liberent, *non spontaneae* quae a morbido statu pendent. Habentur etiam haemorrhoides *parvae*, vel *magnae*, *mites* et *benignae*, vel *malignae*, *habituales*, *periodicae*, *primariae*, *secundariae*, *simplices*, *complicatae* etc.

Diagnosis.

Haemorrhoidum diagnosis valdopere facilis evadit si *externae* sunt, nam statim oculis patent; si vero sunt internae nisi ob digiti, vel speculi in ano introductionem detegi possunt. Haemorrhoides caecae plerumque sese manifestant sicuti tumores parvi, nodosi, lividi coloris, mo-

do castaneae, modo ovi colombini figuram, et magnitudinem referentes, quae sub modica pressione evanescunt, vel saltem imminuuntur volumine, sed ipsa vix amota statim redeunt; aliquando vero in amplas varices dilatatae ob vicinam telam cellularem admodum laxam totum ani ambitum occupant, et tunc ipsam tumidam, lividam, et inaequalem constituunt; quandoque tandem intestini recti extremum ita extrorsum invertere possunt, ut simiae podicem aemuletur. Cruoris ex ano fluxus haemorrhoides *fluentes* denotat, qui humor ab excrementorum attritu plerumque vel maxima in parte effunditur, praecipue cum ea dura fuerunt et consistentia.

Rectum intestinum pluribus obnoxium est morbis, quos inter nonnulli aliquam habentes, cum haemorrhoidibus analogiam, facile cum ipsis confundi possunt, sicuti *ragades*, *condylomata*, *tymi*, *fici*, et *cristae*. Sub ragadum nomine illae intelliguntur ani fessurae, quae saepe ex cutis duplicatura detectae veram simulant caecam haemorrhoidem, sed concavitatis, et fessurae erga anum adparitio ragades ab haemorrhoidibus distinguit. Etiam ani condylomata primo sub adspectu haemorrhoides ab indoctis credi possunt, ast eorum durities, figura, et color rectam dirigunt diagnosim. Thymos inter et haemorrhoides vera adest differentia, nam primi tubercula sunt carnosa, candida vel rubentia, sed semper absque dolore. Fici ab haemorrhoidibus distant, quoniam carnosi sunt, dolentes, lividi, et thymis majores. Cristae demum figuram prominentiae quae de Galli Indi capite pendet similem refe-

ront. Dum vero haemorrhoides fluentes fiunt, fluxus ille cum intestinali haemorrhagia, quae in gravi dysenteria saepe evenire solet, confundi potest; ast in hac ultima, epidemia invenitur regnans; symptomatum adparatus majoris est intensitatis; febris valdopere activa evadit, tormina magis urgent; faeces liquidae nec non parcae sunt, et cruor intime cum ipsis commixtus esse solet. Ultimo tandem facilius in sic dictis haemorrhoidibus albis ab inexpertis alicujus abscessus, ulcerae, aut fistulae existentia supponi potest. Attenta vero materiae fluentis quoad copiam, indolem et modum, quo stillat, consideratio; partium profunda inspectio et exploratio, symptomata praecedentia, et concomitantia, atque causae inducentes, rem aperte manifestare debent.

Hypotyposis.

Quamvis fere semper signa prodroma haemorrhoidum adparitionem enunciare soleant, tamen aliqua habentur exempla, in quibus nullis absque molestiis praecedentibus cruor ex ano fluere visus fuit. » Sic, ait *Petrus Frank* (1), juvenem sanissimum, proprio in sanguine, matutino a somno, quasi natantem conspeximus, » qui, indolis bujus morbi ignarus, locum, qui » sanguinem dedisset, sauciatum, sibi ipsi, per» territo quidem sed non languido, indicare non

(1) De curandis hominum morbis lib. V, pars. II. pag. 226.

» potuit ». Homines vero, qui haemorrhoidibus vexari debent, praevia quammaxime epistaxis suppressione, kephaleam, vertiginem, atque capitis nec non artuum gravedinem accusant; inde dolores ut plurimum ad os sacrum ac ad lombos percipiunt, qui dein calore et prurito recti intestini concomitantur; sequitur postea tenesmus, sive molesta ad faeces dejiciendas incitatio, quamvis ipsae nec durae sint, nec difficulter prodeant. Aliquod post tempus non solum dicta tanto magis saeviunt phaenomena, sed et alia superveniunt, uti sunt; sensus tensionis ac anxietatis in regione abdominis, illis maxime in locis, quae cum vena porta nectuntur, sic ventriculo, liene, hepate etc., appetitus prostratio, digestionis functionum alteratio, nausea, vomituritio, ipseque vomitus; aliquando superveniunt etiam tormina atque colicae sic dictae haemorrhoidales, et saepe ipsa incenditur febris. Hac sub rerum positione non solum recti intestini molestiae augentur, at aeger talem accusat sensationem ac si corpus peregrinum et hispidum haereret; sed dolores etiam ad vesicam, uterum, et testicula, nec non ad coxas atque perinaeum propagantur. Si nunc exacto anus subjicitur examine, observantur ad recti orificium externum haemorrhoides si externae sunt, si vero iuternae exploratio ipsas patefacit, quae volumine augendo, et saepe insignem acquirendo molem, recti intestini lumen sic arcte constringunt, unde non solum faecum excretionem, et clisteris adplicationem fere semper impediunt; sed aliquando io alvo deponenda ex ano perpendent, quare nisi difficulter rursum ingredi possunt, vel saepe eorum introductio im-

possibilis evadit, et tunc inflammari atque tumefieri solent, unde ardor vivissimus cum sedendi aut movendi impossibilitate, inquietudo, anxietas maxima, febris ardentissima, et in subjectis aliquantisper irritabilibus etiam convulsiones oriri possunt; quae omnia haemorrhoides sic dictae fureotes constituunt. Si vero ob inflammationes diu repetitas, vel ob curae neglectum indurationes, restrictiones, vel recti intestini abscessus, succedunt, tunc ulcera maligna, fistula, et gangraena ipsa consectaria sunt, quae huic morbo finem imponunt.

Multa vel fere omnia ex praedictis phaenomenis in haemorrhoidibus se patefaciunt, quae saepe saepius aliquam praeseferunt intermittentiam, sed denuo post determinatas aut indeterminatas interjectiones redire solent, et tantum pituitam pellucidam, aut carnis loturae quid similem emittentes, semper haemorrhoidis caecae indolem conservant; ast ultimo tandem tot crescunt incommoda, *molimina haemorrhoidalia* constituentia, et inde sub faecum duriorum excretione, vel quovis alio sub nixu nodi haemorrhoidales aliquo in loco disrupti vel exaesi, haemorrhagia ex ramis internis aut exterois, sive etiam ex ambobus accidit, et tunc dummodo sanguinis mox atri mox rubri quantitas non minima nec maxima aut diu continuata sit, aeger multum habet emolumentum, et saepe ex predictis molestiis perfectam venit curamen. Sed facile illa vasa, novo suscepto cruore, denuo intumescunt; omnia redeunt incommoda, et fere semper maxima cum intensitate, usque dum secundus haemorrhoidalis fluxus primitivam restituat valetudinem plus

ant minus duraturam. Si vero immodicus, diu continuatus, vel saepe repetitus sanguinis fluxus in subjecta debiliora, vetusta, vel pluribus abdominis praecipue viscerum adfectionibus obnoxia incurrit, tunc licet inprimis aliquid inducat fallax emolumentum, ultimo tandem imbecillitas, virium collapsus, appetitus et digestionis prostratio eveniunt, quare scorbutus, macies, hydrops sunt consectaria; et aliquando tanta fuit sanguinis effusi quantitas, ut non solum lipothymiam, sed mortem usque producere potuit.

Non raro autem in foeminis haemorrhoides et alia producere solent incommoda, nam ob vasorum communicationem vaginam inter et rectum intestinum, calorem, pruritum, ardorem in illa etiam producere valent, sed etiam dolor et sanguinis secessus sub coitu saepe adparuerunt. Haec vero symptomata majorem ostendunt intensitatem catamaeniorum periodo, si ipsa, quod fere semper accidit, supprimuntur. Tempore graviditatis ultimis quammaxime mensibus incommoda fiunt majora, nam fluor ani et vaginae albus, tenesmus, alvi segnities, atque excretio dolens, vasorum tumor circa ani orificium, et vaginae angustatio talis aegris sunt molestiae, ut nulla eis conceditur quies. Ad maximum tamen gradum omnia perveniunt mala in muliere pariente, usque dum fortiore sub nixu foetus nascentis nimis extensa vasa rumpuntur, ac sanguis contentus copiose effunditur.

Cur hominem tam facile haemorrhoides infestare soleant, dum e contra caeteris in animalibus morbus est tam rarus, unusquisque videt qui ejus incessum erectum consideret, et sciat ramos venae portarum valvulis esse destitutos. Cruor enim, qui istis in vasis contra suum pondus descendit, si aliqua inveniet obstacula, quae innumera esse possunt, ad recti intestini finem pergit, et inde varices producit.

Non omnes vero homines licet iisdem expositis causis semper aeque hunc subeunt morbum, unde quaedam peculiaris praedispositio supponi opportat, quae in uno existens individuo, minime vero in alio primum prae secundo magis dispositum reddit.

Montegre una cum *Stahal* primam causam praedisponentam in quadam peculiari corporis constitutione ponit, quae cum sequentibus sese manifestat characteribus; alta statura, corpus gracile, color plumbeus; decursus omnium ex praecipuis venis in extremitatibus quam maxime inferioribus tortuosus et visibilis; nigri capilli; animi motus vehementiores; adpetitus insignis cum gustu depravato; flatus frequentiores, nec non alvi constipatio. Homo ita constitutus juxta praedictos auctores si minima accedat causa procatarctica, facillime hoc vexatur morbo.

Clima sicuti et in alios morbos producendos suum habet influxum, ita et in haemorrhoidibus non parum valet. Populi enim septentrionales ma-

gis ad hoc dispositi adparent, non tantum ob diuturnam et fortiorem frigoris super vasa actionem, verum etiam ob potuum spirituosorum abusum. Aetas quae praecipue adfectiones favet haemorrhoidales adulta quidem est, et quamvis plura non desint exempla infantum, qui talem subierunt morbum; tamen haemorrhoides fere semper ad quadraginta vel quinquaginta annos sese ostendunt, quoniam isto in tempore capitis et pectoris evolutione confecta, sanguinis impetum majorem aliorsum determinat, unde ipse in illas dirigitur partes, ubi minima opponitur resistentia, ideoque ad abdominis viscera vergit.

Utrum homines prae foeminas haemorrhoidibus dispositi sint valdopere disputarunt *Hippocrates*, *Stahl*, *Cullen*, *Montegre*, aliique, sed lis adhuc sub judice est; nam exempla quae usque nunc ab auctoribus narrantur, rem dilucidare minime valent. Credimus tamen tum homines tum mulieres aeque dispositos haemorrhoidibus esse, si enim io morbo tam frequenti, et antiquo vera statui differentia non potuit, clare patet ipsam vel non existere, vel tam levem esse, ut negligi possit.

Illi qui vitam sedentariam et otiosam ducunt qui saepe in rheda incedunt; vel diu trunci perpendicularem servant positionem; qui in diuturna mentis occupatione versantur; aut cibis spirituosis abuti solent; et qui pathemata deprimentia frequentissime sunt passi quam plurimum haemorrhoidibus dispositi videntur. Ultimo tandem venarum nimia laxitas, sive a vi externa illata, sive a natura ac haereditario quasi jure acquisita, in homine vitia haemorrhoidalia frequentissima reddit.

Omnes dictas causae quamvis uti proegumenae sint considerandae, tamen si plures simul concurrunt, morbum producere valent. Inter causas vero occasionales prima, et magis frequens alvi stipsis est habenda; ipsa enim non solum in intestino irritationem inducit; ast ob diuturnam venarum haemorrhoidalium compressionem, ac propter conatus ad foecum excretionem promovendam necessarios, sanguinem ad ani ambitum ciet, unde venae valdopere tument. Variae etiam recti intestini aegrotationes, quae in ipsum irritationem aut inflammationem excitare solent ad anum saepe varices inducunt. Tales sunt; catarrhus, contusio, ulcus herpeticum, ascarides vermiculares etc. Similes producunt effectus aliarum partium chronicae infirmitates, praecipueque haepatis post alicujus fluxus habitualis suspensionem, vesicae uti in cistitide, calculorum existentia, uteri, vaginae, prustatae mala etc. Saepe haemorrhoides comparuere post melancholiam, dolores nephriticos, dementiam. Etiam post haepatitem, pleuritidem, pneumonitidem, aut arthritem haemorrhoides oriri nonnulli volunt. Clysteres calidi et acres, potus spirituosi, cibi acriores, aromatibus conditi; drastica; rhabarbarina, aloetica remedia, aphrodisiaca, aromatica; aequitatio diu continuata; graviditas, abortus, partus difficilis; mensium suppressio; intestinorum per flatus distensio, aut aliqua per obstacula compressio, uti a spasmo, viscerum infarctu, adipe, hydrope, uteri volumine nimio etc. haemorrhoidibus originem dare multa habentur exempla.

Plures adsunt medici, qui hyrudinum activitatem in haemorrhoidibus producendis absolute

negare audent, huic innixi argumento, quod multa habentur individua, in quibus licet pluries hyrudinum adplicatio fuit instituta tamen nunquam varices ad anum accusarunt; et quod si in individuis cum hyrudinibus fluxus haemorrhoidalis revocare quaeritur, minime obtineri potest. Nos vero irritationem et sanguinis adfluxum considerando, qui hyrudinea ad rectum revocare debent, earum adplicatio, uti causa haemorrhoidum sufficiens in jam dispositis cum *Frank* (1) et *Borsieri* (2) admittere censemus.

Si igitur una aut plures ex hisce agentibus causis, vel cruor majori in quantitate per arterias irritatas in venas colligitur; vel vero ejusdem regressus intercipitur, vasorum intestini recti repletiones nascuntur, et tunc venarum tunicae sanguini nunc fluido nunc grumoso cedunt, dilatantur, et varices haemorrhoidales producunt. Saepe sub remediorum actione morbus evanescit; ast frequenter denuo redire solet, et talis in vasorum membranis atonia superest, ut minime data causa iterum haemorrhoides appareant. Aliquando vero varices ob insignem sanguinis copiam valdopere repletae, ad maximum tenduntur, et tunc facillime earum evenire potest ruptura, quae pro aliquo tempore morbum tollere valet.

---

(1) De curandis hominum morbis lib. V. pars II. pag. 233.

(2) Institutionem medicinae practicae Vol. IV. pag. 295.

Prognosis.

Stahl, aliique plures haemorrhoides et quammaxime fluentes sicuti processum vitae salutarem consideraront. *Galenus* e contra *Aetius* et *Riverius* easdem, uti gravissimum habent morbum. Nos vero negare nequimus aliquando haemorrhoides in morbis etiam pertinacibus salutarem afferre crisim, aut alia cruoris profluvia majoris incommodi supplere; tamen fere semper haemorrhoides uti morbum habendum esse credimus, qui licet plerumque in salutem vertat, aliquando tamen varia producere potest damna, uti indurationes, dolores vehementes, ulcera, abscessus, et fistulam ipsam, et si immodicus accidit sanguinis fluxus, cachexiam, hydropem et tabem inferre potest, quin imo in certam mortem abire.

Generatim tamen si in pueris et adolescentibus haemorrhoides superveniunt, earum fluxus infirmam indicat valetudinem, et si supprimitur, quod facile evenire solet, chronicis morbis viam parat. Si autem post trigesimum annum fluxus adparet haemorrhoidalis, statisque temporibus recurrit, melioris ominis est. In quinquagesimo demum vel sexagesimo aetatis anno, cum homines pletorae valdopere dispositi sunt, et alioquin bene valent, saluberrimus est, et si supprimutur gravissimi ac repentini oriuntur morbi. Quantum vero valet ad plethoram et cacochymiam tollendam haemorrhoidum fluxus satis demonstrat celeberrimus *Hippocrates* dum dicit: » Qui hae-

» morrhoidibus laborant, neque pleuritide, neque
» peripneumonia, neque ulcere phagedenico, ne-
» que furunculis, neque terminthis, fortasse ne-
» que lepra, neque aliis corripiuntur (1).

Therapia.

Ad rectam in haemorrhoidibus conradis therapiam statuendam, causis summa habenda est ratio. Hae si fieri potest amotis, vel saltem aliquo in modo enervatis, in primis ad foeces liquidas reddendas medicus omnem suam dirigere debet curam, nam non solum foecum solidarum in intestinis collectio fere semper si non unica causa, tamen ex pluribus praecipua est consideranda, verum etiam in eas expellendas nisus maximo est aegrotis damno. Hinc non tantum abstinere debet aeger a cibo et potu spirituoso, fervido, stiptico, crebrius aut largius ingesto; a vita sedentaria aeque ac a nimis exercitata, at in alvo deponenda a nimia dilatione caveri debet; ast etiam purgantia vegetabilia et quam maxime oleosa sunt adhibenda, atque sub magna intestini siccitate ante foecum dejectionem, parum olei lini cum malvas decocti, cremoris lactis, aut bothiri recentis cum jusculi carnei exigua portione in anum mittatur. Omnia vero enemata, quae in haemorrhoidum adfectione subministrari debent frigida esse opportet.

(1) Lib. VI. epidem. sect. III. text. XXVIII. et lib. de hamorib.

Inter remedia vero interna, quaenam praecipue ad haemorrhoides tollendas valent valdopere medici disputarunt. *Cullen* atque *Piell* balsamis copaive usum commendarunt; *Hildenbrand* tartratis potassae aciduli drachmam unam, duas aut tres in die proposuit; alii aquas mineralea ferruginosas adhibent; nonnulli chinam, ferri limaturam etc. Nos vero una cum pluribus ex practicis recentioribus florum sulfuris drachmam semis, aut unam mane et vespere plerumque cum dupla cremoris tartari, aut magnesiae quantitate, nec non cassiam, et tamarindum praeferimus. Potus etiam refrigerantes, aciduli, mucilaginosi, fructus acidi, et aquosi minime erunt negligendi. Externe vero aqua egelida, vel aqua cum boratis sodae uncia dimidia, solutio salis ammoniaci, infusio natura Gallae etc. adplicari possunt; *Montegre* injectiones aceti plumbi, sulfatis zinci, albuminae, ferri, chinae, vini etc. valdopere collaudat. Sed in talibus adhibendis remediis maximum adest periculum, et semper summa cum circonspectione dari debent. Dum vero in subjecto pletorico haemorrhoides dolentes et inflammatae fiunt, tunc una cum viveodi aut medendi methodo debilitante vena in brachio aut in pede pluries etiam secari oportet; postea ad topica; cataplasmata emollientia, olei seminum lini, butyrum cacao adplicantur; decoctum malvae, aut parietariae lotio, nec non liniments anodyna adhibeutur.

Multi non defuerunt medici, qui hyrudinum adplicationem in haemorrhoidibus damnarunt, quia eas tumorum haemorrhoidalium inflammationem promovere, vel saltem augere posse crediderunt.

Si vero hirudines potius numerosae ad aliquam ani distantiam, insignem cruoris quantitatem detrahunt, inflammatio et haemorrhoidum dolores certe imminui debent.

Si haemorrhoidum tumores externi, lividi, et sanguine valdopere pleni, densa membrana detecti, sed minime inflammati jam dictis resistunt remediis, cum lanceola sectione facta, et cruoris quantitate imminuta, statim evanescunt. Dum autem magis turgidae, et inflammatae sunt haemorrhoides, tunc quaedam obtineri potest imminutio, si cum lanceola instituantur levissima vulnera, ex quibus aliqua humoris quantitas exeat. Si tandem varices haemorrhoidales a sola membranae recti intestini laxitate dependent, et ob insignem tensionem, volumen et duritiem maximi essent incommodi, ad earum basim secandae sunt. Tali autem in statu quidam Gallus *Dofouart*, juxta *Sabatier*, multos sanasse asserit homines, tantum partem magis extantem forfice exscindens, dum quod superest sanguine emisso exsiccatur.

Dum haemorrhoidum internarum inflammatio ex earum protrusione neglecta dependet, subito, aliqua olei, aut butyri unctione peracta, tumores ipsi a medico, vel potius ab aegro leviter sunt comprimendi, unde in ano denuo adducti sphincteri in ipsis constrictio cedat, et ita irritatio evanescat. Si autem haemorrhoidum introductio effici nequeat, quoniam ipsae ob insignem inflammationem dolentissimae sunt, methodo uti oportet antiphlogistica, cujus actione imminui, et inde paulatim in ano ingredi solent. Rarissime sed tamen dari potest casus, ubi haec remedia

nullam habeant utilitatem, et tunc scarificationes plerumque juvant.

Hisce adhibitis remediis haemorrhoides aliquando resolvuntur, et aeger pristinam acquirit salutem. Saepe vero talis et tanta est ipsorum pertinacia, ut nisi fit naturalis vel artificialis ruptura salus evenire non potest. Sanguinis inde fluxus, qui ex haemorrhoidibus pellitur, si moderatus adparet, aegri valetudinem refert, et minime est impediendus, licet habitualis fiat; ita monet *Hippocrates* (1) » a diuturnia sanato haemorrhoidibus, si vena non servetur aperta, periculum esse, aquam inter cutem, vel tabem » advenire ». Si vero cruoris profluvium immodicum vel nimis diu continuatum sese ostendat, uti adstruitur si pallor faciei, debilitas universalis, spasmi, deliquii frequentes superveniant etc., ad clysteres egelidos est recurrendum, lectus pro recumbendo durior, positus supinus, fomenta frigida sunt praecipienda; et si frustranea etiam haec fiant remedia, alluminis, vitrioli albi modicae solutiones, aut ipsum vini alcohol in anum injicienda sunt, vel iisdem imbuta spongia aut pessarium in rectum ferenda sunt intestinum. Intus autem et alia subministrari possunt medicamina, quorum virtus maxime in similibus collaudatur circumstantiis, uti decoctiones corticis aurantiorum, quassiae, chinae, quercus roboris, nec non allumen, ipecacuanha, et ipsum muriatum sodae, sicuti asserit *Michaelis*. Sed his tam in-

(1) Aphoris. XII. sect. VI.

ternia quam topicis remediis aliquando haemorrhagiaa haemorrhoidales compescere non possumus, quod ex tumorum ab ano egressu, et sphincteris constrictione dependet, et tunc eorum resectio est instituenda.

Si igitur haemorrhoides dolentissimae sunt, et ipsarum mole foecum excretionem impediunt; si cruoris profluvium tam immodicum est, ut aegroti vita in malum vertat, haemorrhoides amputandae auot, nam cauterisatio, excisio, et ligatura a pluribus commendatae ob multa, quae afferre solent damna, nunc derelictae sunt. Vix ergo aegrotus alvum deposuit, quod ad obtinendam catharticum non solum, sed etiam clysma anteire oportet, statim, ante quam denuo tumores in anum ingrediuntur, usque ad basim secantur. Recisione instituta, cum torondae vel spongiae aliqua substantia adstringenti adspersae, aut alicujus animalis urinariae vesicae aqua protensae in ano introductione, haemorrhagis, quae saepe profusa esse solet, compesci debet.

Haemorrhoides fere semper in illis occurrunt individuis, quae cibo valdopere eupepto, et potu alcoholico, acre, vel aromatico utuntur, unde victus ratio semper blanda sit oportet. Regimen diaeteticum, austerum *Montegre* quammaxime consiliat, et uti primam tenet anchoram in haemorrhoides sanandas. De homine ipse narrat morte damnato, qui cum quindecim circiter diebus nullum assumpsisset alimentum, haemorrhoides, quae jam diu eum vexabant, evannere. Cibi quantitas ergo, per quantum fieri potest, parva esse debet non solum, sed etiam substantiae vegetabilis, quae nutritionem et inde pletoram

impediendo, irritationem in intestini minuendo, nec non quemdam calorem, atque ardorem, in faecum excretione leniendo, si non uti prima remedia sunt consideranda, pro ultimis tamen minime haberi possunt in haemorrhoides sanandas.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Medulla spinalis considerari haud potest tamquam cerebri productio.

II.

Funiculi umbilicalis ligaturam praetermittendo, certa infanti mors non affertur.

III.

Nulla est differentia animi adfectiones inter et animi pathemata.

IV.

Foetus non in utero, sed tantum per vias genitales tempore partus transiens morbos venereos contrahit.

V.

Haud verum, medullam spinalem ex *Galli* sententia nil aliud esse nisi gangliorum seriem.

VI.

Pellagra est morbus productionis organicae.